

suasione iste frater M. nomine sui germanis^{a)} homicidio incidit. Quem secundum statuta canonum in vita sua iudicavimus. Quare deprecor vos, ut legem adimplentes alter alterius onera^{b)} porte[tis]^{c)}¹⁾, quatenus ei miserendo subveniatis.

Nr. 5.

Die Bischöfe der Kirchenprovinz Ravenna fragen den Bischof R[ainer] von Florenz, ob er tatsächlich lehre, daß der Antichrist bereits erschienen sei, und halten ihm die Torheit dieser Ansicht vor.

(1086—1095)²⁾.

Ed.: C. Erdmann, ZKG. 51 (1932) 388—390.

Hs. fol. 193^v—195^v.

Confratri et coepiscopo R. Dei gratia Florentino episcopo episcopi Ravennatis ecclesie. Debita tibi salutationis officia mitteremus, si sciremus^{d)} te communionis nostre. Sed cuius sis, incertum habemus, quia quam partem^{e)} teneas ignoramus. Ceterum discurrentibus plurimis laicis et clericis Florentia redeuntibus et te dicere solitum attestantibus Antichristum exortum, orbis commotus est universus, fit ubique gentium strepitus et tumultus, ammirationis plurimum, commotiones et scandalum^{f)} per omnes civitates et vicos, et omnino per ora^{g)} omnium. Nec aliud^{h)} dicitur nec aliud^{h)} queritur nec aliud predicatur. Quam ob causam licet in litteris rudes simus, ad nos tamen recurriturⁱ⁾, et ab omnibus convenimur, ut que sit super his nostra sententia, proferamus.

Videmur autem nobis audire nova quedam et inaudita portenta verborum, et ut pace tua sit dictum, novus propheta, novus apostolus, immo novus diaboli prenuntius exurrexit, qui non solum sibi prophetarum usurpet officium et apostolorum misteriis abutatur, sed etiam super prophetas videri velit et apostolum^{k)} doceat fuisse mentitum. O nova presumptio! quod nullus potuit prophetarum, tibi vis videri concessum, et quod nulli promissum est scire^{l)} mortalium, tibi fingis in litteris revelatum et divina quadam^{m)} insusurrante detectum. Multa de adventu illius in sacris inveniuntur eloquiis. Multa David, multa Daniel, multa de illo loquuntur oracula prophetarum, et Iohannes noster in apocalypsi sua nonnulla de eo prosequitur et post illorum divinorum

^{a)} so Hs. ^{b)} honera Hs. ^{c)} vielleicht ist portate zu lesen; vgl. Anm. 1.
^{d)} siremus Hs. ^{e)} korr. aus paritem; darüber nochmals partem Hs. ^{f)} vor
 u ein Buchstabe getilgt Hs. ^{g)} hora Hs. ^{h)} aliut Hs. ⁱ⁾ korr. aus
 recurrimus Hs. ^{k)} pplm = populum Hs. ^{l)} sire Hs. ^{m)} quedam Hs.

¹⁾ Vgl. Gal. 6, 2.

²⁾ Zur Datierung s. Erdmann, ZKG. 51, 391 f.